



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 1. Ab honoribus artes, & artifices inuitari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

CAPVT VII.

*Per laudem gloriamq; humanam, multos
non solum ad artes, verum etiam ad
virtutes fuisse excitatos.*

§. I.

Ab honoribus artes, & artifices iuuari.

Quam vtilis, imò quam necessaria
sint mortalibus artes in hac vita,
quotidie experimur. Atqui ho-
nor ad artes quærendas homines incitat, ad
inueniendas iuuat, roborat ad amplifican-
das. Vetus enim è Platone dictum illud
transtulit Cicero. *Ionos alit artes.* Sicut
igitur veterum heroum quò quisque inge-
niosior erat, eò liberalium artium cognitio-
ne magis delectabatur; quæ delectatio vt
cresceret, præmijs nouarum artium inuen-
tores, vel magistros incitauerunt. Quem-
admodum enim agri & horti fertiliores fi-
unt, si largiter irrigentur; ita bonæ artes
eximiaque ingenia liberalitate, honorifi-
centia, & benignitate magis efflorescunt, si
habeant fautores. *Da Mecanates plures, plu-
res habebis Marones,* inquebat ille. Erat enim
ille Pœtarum amantissimus, vt eis benefa-
cere vellet: erat ditissimus, & Augusto ex
intimis,

Cic. lib. 1.
Tuscul.

intimis, vt benefacere posset. Et quis est mortalium omnium, qui non, si laborum suorum fructum speret, ad quiduis promtior alacriorque efficiatur? Quare mirandum non est, olim tot artes repertas esse atque studia litterarum tantopere floruisse, cum prisci proceres tam grati, tamque munifici fuerint aduersus eos, qui doctrina, peritiaque liberalium, immò etiam mechanicarum artium excelluerunt. Olim, quando viri docti & prudentes rerum potiebantur, viros quoque doctos honorabant; nunc quia saepe rudes ad clauum promouentur, vel grassantur, doctos despiciunt: olim eruditos fouebant; nunc eosdem deprimunt: olim amabant, colebant, locupletabant rerum speritos; nunc vel inuidi, vel sordidi, vel morosi sunt erga eosdem; quia non intelligunt eorum labores, neque experti sunt molestias, quas illi subierunt. Denique ars non habet osorem, nisi ignorantem; si enim pretium illius apprehenderet mente, propter artem amaret artificem imperitus. Nimirum quò indoctior est quisque, & imprudentior, enimuero stolidior, eò sua magis aestimat, magisque deprimat aliena. Ab hoc errore, vt homines abducerentur, atque
vt

vt omnia ex industria facere assuescerent, voluit diuina sapientia, & artes, & virtutes, honoribus acui. Siquidem, vt Claudianus canit,

Egregios inuitant premia mores.

Et quamuis multi boni artifices malis sint moribus, tamen etiam hoc sæculo à multis honorantur, ob vtilitatem. Apud Thesalios capitale est, occidere ciconiam, non ob aliud, nisi quòd serpentes interficiat: par- citur & apud Britannos miluis, quòd vr- bem raptis extis repurgent: ita & opifici- bus & artificibus quibusdam bibulis, & ga- neonibus, honor, habetur, non quòd ipsi digni sint, sed quòd illorum opera nobis sint vsui. Apollonius rogatus à Babylonæ rege, quomodo tutò regnare posset, *Si multos in- quiebat, honoraueris, paucis verò credideris.*

§. II.

Quantopere olim Poëta sint honorati?

Quantum stimulum artificibus adiecit Alexander Macedo, cum edicto vetuit, ne quis se præter Lysippum ære, Praxitelem marmore, Apellem coloribus fingeret? Ti- tillauit & Æschylum mirificè, quòd popu- lus Atheniensis statuerat, vt solius illius fa- bulæ post eius mortem referrentur. Hinc
falsum

Cladiano
in laud.
Stilico-
nis pa-
neg. 2.
Bruson,
lib. 3.